

V c
3841



QW

An



Ok. 33^a₂, 8^a.

Vc
3841

Ant. I, 358.





920.
SVPPLEX LIBELLVS

Ad

AUGVSTISSI-
MVM IMPERATO-

REM FERDINANDVM II.

BOHEMIÆ, HVNGARIÆ, SCLA-
uoniæ, Dalmatiæ & Croatiæ Re-
gem, &c.

Missus è Batavis,

A

FRIDERICO, &c.



9.
ANNO M. DC, XXI.



SVTPELEX LIBELLVS

AVGVSTISSI

MVM IMPERATO

REM FRADINANDVM II

BOHAE, HUNGARIE, SCA

BOHEMIE, DALMATIE & CROATIE

RE

FRIDERICVS

CO

FRIDERICVS CO. & CO.



Faint blue ink stamp or text on the left side of the page.

ANNO DOMINI DC. LXXI



Dea, quæ supplex peto, FERDINANDE CÆSAR, facilius concedenda vel prima libelli huius frons te commouere debet. Est enim, vt decet, verecunda. neque iam coronam ingratiis tuis aut diadema præferebat. Qualis si mihi frons semper fuisset, maiores fortasse adhuc spiritus gererem, quam vt putarem ad preces descendendum.

Nunc verò quoniam ab altissimis Regni titulis ita profundè diectus sum, vt neque mei quidem me amplius aut Regem, aut Electorem vocare dignentur; cecidit vnà mecum & spiritus ille, suggeritque vt precibus impetrem, quod armis frustra tentauit.

Et potest te sanè conciliare tam atrox calamitas; Non nix fuit, quæ supra caput meum cecidit, sed pruina: non pruina, sed grando: non grando, sed fulmen: quod me non læsit, sed contriuit. & qui est calamitatis meę fundus, summi honores, me dedecore affecterunt. Supplex non essem nisi regnauissem. Diadema pro laqueo fuit. Sceptrum me iugulauit. Heu nimis grandis est casus, de folio regni in exilium cecidisse! apud Bohemos imperasse, apud Batauos mendicasse!

Quare postquam purpura à chlamide in frontem mihi fugit, qua parte minimè volebam, erubui. Sed & hoc à me ipso erat. nam frontem cum quis satis diu perfricuit erubescere tandem etiam inuitam cogit. Itaque quantò esse me perfrictioris frontis alij non nesciunt, tantò liberaliùs erubesco; palamque fateor quod palàm commisi: ne pertinacia causam acerbet. Quia iniqua excusatio noua culpa est. Præstatque meâ exaggerando defensores quærere quam extenuando inuitare, qui accusent.

Neque in hac re contra Religionis meæ Goenium pecco. quamuis enim in miraculis habere debeat, qui supplicem viderit Caluinistam id tamen iuxta fortunæ mensuram est ita iudicandum. Habemus hoc oēs quotquot sub Caluino didicimus, quamdiu nō frœnamur iugi impatiētes sum⁹, nostra venditamus, contēnimus aliena, terrem⁹, minamur; & si potestas est, etiā sequimus: deniq; adorari nos sinimus: cum aut enorme naufragiū felicitas passa est, & res nostra in neruum erupit, nemo tam promptè ancillatur, nemo sese tam contractè gerit; nemo ad blandiendum exercitiores vultus habet; denique genibus aliorum seruitissimè aduoluimur; quouis scorto paratiores, quouis librico abiectiores sumus. Neq; hoc mirum est cum etiam Leopardi, qui antè tauris erant formidabiles, capti, domitiq; flagellum patientur.

Subiicio itaq; me tibi, CÆSAR, necessitate adactus;

aetus; si voluntati meæ, cōsiliisq; meorum superi paruisset, etiã tu te mihi subiicere debuisses. Quamobrẽ parum esse ne arbitreris, quod me supplicẽ factum videas. Tu meas, ego tuas vices ago. Nam paulò antè optaueram expetaueramq; vt ego CÆSAR essem, & tu ipse exul ad me supplex venires. Hanc igitur pars est, vt nunc sperare me gratiam sinas, quam tu tunc ipse à me reportauisses.

VII.

Atque hæc, vt dixi, ratio, in prima libelli huius fronte, imo voce continetur. Quod si pergis in titulo legendo, plura iras tuas emollient. Quippè in cæteris quoq; verbis argumentum inest, quibus te Regem indigetamus. Cum enim Anno M. DC. XX. Norinbergæ diu à me & meæ factionis sociis deliberatum esset, quibusnam te nominibus appellare fas videretur, si litteræ mittendæ forent; nequaquam placuit Regem vocare. Cur enim nomen relinquere- mus, cui Regnum abstuleramus? Ecce ergo postquam Regnum ad te rediit, nomenclaturam quoq; restitui- mus, ne etiã propter hoc nobis vel tu, vel aliquis ma- gnus tuus amicus bellum inferat.

VIII.

Regem igitur te salutamus, quoniam Cæsarem, Cæsarisq; amicos metuimus: quando nos ipsos tibi il- lisq; metuendos esse putabamus, aliter tecum, aliter de te locuti sumus. Valdè itaq; hæc à nobis profecta vox te mulcere debet. Non semper hanc tibi concionem cecinimus. Immo memini tempus, quo cum Gabo- rem Screnissimum, Anholtinum Illustrissimum, ter-

etiamque conspirationis nostræ Triumvirum, & nul-
lum ferè nostrarum partium fautorem sine suo titulo
nominaremus; te tamen absq; vlla honoris præfatio-
ne tam in familiaribus epistolis, quam in priuatis pu-
blicisq; sermonibus Ferdinandum duntaxat, quasi v-
num de triuio Erronem vocaremus. Nempè præter
nomen hoc aliud nihil tibi censebamus deberi; & hoc
quoque in Missæ nostræ mysterio ablaturi; vt nec me-
moria amplius tui superesset.

IX.

Ac fuit vtique hinc tragœdiæ nostræ initium fa-
ciendum. Citius enim auferuntur nomina, quam Re-
gna. Neq; Nemesis nostra passa est nos aliter facere.
Agnoscit enim, ad te Regnum pertinere, qui Regem
vocat: fuissetq; nobis procliuius Ferdinandum quam
Archiducem, quam Regem, quam Cæsarem subuer-
tere: nisi Ferdinandus vnà & Archidux & Rex & Cæ-
sar extisset. Quemadmodum enim nauis celerius lo-
co mouetur, quam anchora nulla firmat; hæc autem
si rupi sit defixa neq; venti supernè neq; infernè fluct⁹
aut procellarum etiam decumani impetus tam facile
vincunt: sic haud ita temerè quassari valet, quem tot
prouinciarum, Regnorum, Imperiorumq; vires sta-
biliuerunt.

X.

Quando igitur fortuna tua mutata est, & nos sti-
lum mutamus, quem fortunæ similem habemus. Re-
gem nuncupamus, vt Regna dones. Honoramus ver-
bis, vt tu nos rebus exornes: deniq; vt resipiscentibus
sis clemens, qui fuisti in delinquētes seuerus. Regium
tibi nomē damus, vt tu regio animo in supplices vta-

fis.

ris. Quin & Inuictissimum liberenter scriberemus, nisi nostris speraremus te precibus vincendum. Et vincent utique, nitu (ut ne sic quidem vincaris) rogare nos ipse velis, ne rogemus, petitionemque nostram anteuertere cogites. Qua quidem in re honorimeo plurimum consuleres; nam ut tuo consulas, parum mea interest, qui mea curo. Alterutrum horum sine procrastinatione facturum censeo, ut scilicet veniam nobis vel offeras rogans, vel concedas rogatus.

XI.

Quod tantò certiùs futurum confidimus, quantò tu Austriaci sanguinis clementiæq; magis es memor, Habet hæc domus multa inclyta. Sed ista imprimis Virtus eam superis æqualem reddit. Atq; si ingenuè loquendum est in tantum excellit, ut eius menimia, existimatio temerarium fecerit. Putabam siquidem nullum à me tam dirum facimus tentari posse, quod apud tuam clementiam veniam non obtineret. Cumque hinc eos, qui progressibus meis applaudebant, inde illos qui tuis terrebaturs casibus, intuerer, cœpi me ipsum, plus quàm par erat, æstimare, & pro leone habere latè dominaturo; te autem formicam arbitrabar, nescio quæ, terræ latibula subituram. At serio tandem, prò dolor, expertus sum, quam verū sit proverbium, quod dicit, & formicæ suam bilem inesse. Cum enim iam iam leonino fastu formicam istam pedibus proterere, quasi sus catulos, cogitarem; ecce protritrus sensi, mihi factum, quod facere tibi parabam. Itaq; longè alia fuisset comparatio instituenda: nam in hac quidè pugna tu verè Aquilã egisti, cū qua quia
ego

ego de sublimitate volatus contendere non dubitavi,
scarabæus factus sum, & fabula.

XII.

Satis sit igitur tibi vicisse, & ex leone scarabæum
fecisse. Quid ultra pergis? Esto domum tuam, poten-
tiamq; austriacam molitus sim labefactare, ac si tech-
næ prosperatæ fuissent, etiam funditus exscindere:
num idcirco & tu meam debes vastare domum? si ti-
bi displiceo cur me imitaris? aut cur facis quod ipse
in me non probauisti? quamquam in me longè fuit
pulchrius: non enim gloriosum est Aquilæ cum sca-
rabæo, sed scarabæo cum Aquilâ certauisse.

XIII.

Super hæc, vt me rursus tua clementia erigat, re-
cordare quod te deicere voluerim: meas mihi terras
redde, qui id effeci, vt tu non haberes amplius tuas.
Nullum erit admirabilius indulgentiæ exemplum,
quàm si in hostes magis beneficus sis, quàm in amicos:
vt posthac quicumq; titulis, regnis, vitæ, nominiq; tuo
insidiabuntur, non pœnam formident, qua illos de-
terreat; sed præmiũ sperent perfidiæ suæ, quo ad rem
facinorosam audaciùs agrediendam animentur.

XIV.

Porro si ignoras eiusmodi me Heroem esse, qui
ad clementiam lenitatemq; tuam luculentissimè ex-
ercendam sit admodum opportunus, haud magno sa-
nè negotio patefaciam. Quàm enim multos clemen-
tiæ modios te in precordiis habere oportet, si non so-
lùm tam capitale nominis tui hostem non punias
graviùs, quàm puniisti; sed etiam impetrare sinas,
quæ-

quæcumq; petit? præsertim cum, quamuis res grandes postulare videar, tanta tamen beneficia flagitare à te non possim, quanta ego damna tibi tuisque inferre cogitavi. Utque fortasse alij in me audaciam vocabunt, quod à te Regna nunc & Prouincias petam, cuius paulò priùs iugulum petiui; ita nemo non agnoscat te clementem esse, cum viderit iniurias pati posse, vindicare non velle.

XV.

An etiam, vt hoc probem, necesse est, me iugulos tuos petiuisse? ita probabo, vt lucem solis lucere. Sed summam conficio. Equidem ego ex illis Triumuiris vnus ac præcipuus sum, qui professione, consiliis, vi, armis id vnum laborauerunt, vt tuis consiliis obicem ponerent, Patriæq; aliquem Catilinam procederent. Quare cum Turcam potiùs, quàm te imperitare nobis conducibile duxissemus, operam gnauam dedimus, vt tu Cæsar ne creareris. Huc tot secreta Legationes, tot subdolæ N. & N. N. factæ promissiones, tot Christiani parùm Christianæ machinationes, tot Camerarij apud Electorum Collegium Francofurti artificiosæ substructiones omnes collineabant, ne. CÆCO, vt i honoris causâ te vocabamus (nec enim tam acutum cernis, quàm aut Aquila, aut serpens Epidaurius) Imperij habenæ committerentur. Proindè ne si ipse coràm fuisset, cæterorum, authoritate principum trahi me sinerem, tanquam inconstantioris & magis cereæ ætatulæ Princeps, noluerunt Pædagogi mei (quorum malitia meam suppleuit ætatem) permittere, vt meum ipsius suffra-

B

gium

gium Frācofurtum perferrem; sed Protheum meum meo loco proficisci iusserunt. Cui in mandatis datum est vt Electionis negotium, si non ad votum meum contorquere posset, saltem quantum liceret compendinaret, donec tu Bohemiæ coronâ exutus, vna & ferendi suffragij iure exuereris: Atque ego iam triplici voto locupletatus, meo scilicet, Bohemico & Brandeburgico (quod iam in compedes dederam) fortè tandem efficere possem, vt me Dei prouidentia ad capeffendam summam potestatem vocaret: dici- que liceret, quod postea de me, apud Bohemos Rege creato vulgatum est: *Et factum est, & est mirabile in oculis nostris:* Atque etiamnum de me in exilium iactato dicitur: *Et factum est, & est mirabile in oculis nostris.*

XVI.

Nimirum nisi Numinis vel inuidiâ vel prouidentia accideret, vt Calvinistæ non per Electionem, sed vi & ingenio Regna occupare soleant, minimo minus abfuisset, quin pro Ferdinando Fridericus Cæsar Salutaretur. Et possum fortasse, nisi mihi tam mitis animus esset, litem tibi intendere de imperio. Plura enim ego vota habui quàm tu. Nouum, hoc est, ais; nunquàm audiui. Sanè plura habui; nam ferè totius populi votum fuit, vt ego Cæsar essem. Abnuis denuo? Ai denuo nam Papistas tuos qui tibi fauebant, pro Plebe habeo: Calvinistas autem meos, quorum calculo gaudebam, pro populo. Et merito pro Populo, quia omnia diuina & humana populantur.

XVII.

Verùm quidquid sit de populi sententiâ, ego profectò

fectò quàmquàm nullum præ me, quemuis tamen alium præ te pati Cæsarem maluissem. Idcirco etiam extra Imperij limites Coronam ostentabam; & verò etiam (licet verbo duntaxat, non itidem animo) promittebam; ne tam inuiso eam Capite relinquerem. Præstat enim magnos thesauros pessundare, quàm iis hostes nostros instruere. Sic miles flammis potius tecta abolet, quàm aduersæ parti donet. Eadem vox omnium fuit Calvinistarum: Imperet quemcumque Fortuna amat dummodo Imperator seruiat.

XVIII.

Ad has industrias Calvinisticas accesserunt amici fideles in Bohemiam immissi, qui omni contentione seu per tacitos cuniculos, seu per manifestos arietes Bohemicorum statuum animos expugnauerunt, vt te quàm celerrimè abdicarent, Nomenque tuum è totis Regni finibus eliminarent. Decebat enim te ibi moras non trahere, vnde Consiliarij tui tam subito per fenestras te præcessissent. Ergo non in cassum cecidère vota. Effeci, vt qui te elegerant, repudiarent: qui Sacramento caput suum tibi obstrinxerant, contra te coniurarent: qui te in Regem vnixerant, mortuum se vnxisse putarent, meque, defuncto & à Pollinctoribus ad sepulturam parato, substituerent. Necessario autem Regno illi exspirare debebas, quod ego animare cœpi. Neque enim vnum corpus nisi ab vna debet animâ gubernari. Itaque meritò tripudiaui, quia tibi Bohemiæ sceptrum, tanquàm Herculi clauam extorsi. Hæc omnia ad clementiam tuam exercendam,

cendam, nisi per se eximiè essent, idonea, nunquid
tam animosum adolescentem amore dignum iudi-
cares? nam etiam Mercurium,

— boues olim nisi reddidisset

Per dolum amotas, puerum minaci

Voce dum terret, viduus pharetrâ

Risit Apollo.

Tu igitur quoque postquam non boues sed vrbes
abstuli, ride, obsecro Caesar, & eris mihi magnus
Apollo.

XIX.

Poterant hæc sufficere ad clementiam tuam, et-
si mari copiosior esset, exhauriendam: si tamen pa-
tientiam nondum omnem consumpsisti, atque gran-
diores illi bolos obiici desideras; Scito plura alia à
Caluinistico candore in te merita promanasse. Quod
Caluinistarum nomen, cum beneuolentiâ plenum
sit, tanto libentiùs repeto: ne quis illud existimet in
Imperio ius aut honorem non habere. Igitur Calui-
nistarum inuentum est, Vngarica Rebellio. Vbi co-
ronam Gabor non arripuisset, nisi priùs à nobis arri-
puisset occasionem. De Silesiâ Moraviâ Austriâque
Superiore, & propemodum etiam inferiore nihil di-
cam, quia Regni mei appendices esse debebant. Et
tu earum Prouinciarum iacturam non admodum vi-
debaris sentiscere. Neque enim maioribus pennis
vestita Aquila luget, si aliquas minorum gentium
plumas inter volandum disperferit. Imo haud exi-
gum testimonium est, multa te habuisse, si constet
multa perdere potuisse. Hæc ergò vt ad gloriâ te eue-
here-

heremus, iam designabatur ad prædâ Friâulensis Di-
tione; & nostri officij erat huic rei, siue è terra Cadma-
os milites, siue è maris spumâ, Veneris ritu natos Tri-
tones submittere. Iam etiam ipsa Stiria Carinthia-
que spe deuorabatur: iam cogitabamus Oceanum
cum mari Adriatico iungere, ingenti victoriæ passu:
iam meditabamur Hispanum è folio deturbare: iam
totius Europæ diribitores eramus. Quibus omnibus
si te nudauissemus terris, ne quæras quorsum tibi e-
undum fuisset. Ad cœlum ire potest, qui in terris lo-
cum non habet. eò volare cogitantem plumæ istæ
grauant non iuuant. Expeditum ergo te reddit, quis-
quis deglubit.

XX.

Quare vel vt benefactoribus tuis gratias age, vel
vt persecutoribus tuis ignosce; vtrumque est virtu-
tem exercere. Neque multùm refert gratitudinem
ne exerceas, an lenitatem. Si benefactores agnoscis,
ostende te gratum: si hostes esse existimas; cur finis
clementiam tuam expugnari? Neque hæc mea faci-
nora eò à me referuntur, vt causæ meæ vulnus impo-
nam, aut cicatrices semiobductas refricem: sed o-
stendere cogito si tu auitæ mansuetudinis nomen
retinere cupias, apud nullum ita, vt apud me, posse
illam inclarescere. Si enim tam iurato hosti arrise-
ris, quis de veniâ desperet? Et arridere potes post-
quàm nos è Bohemiâ fugatos cernis. Satis enim est
muscam, quæ momordit, à fronte abegisse: abactam
nemo persequitur, nisi qui morderi denuò velit.

XXI.

Sed & alia illustrior causa est, ob quam syllabum aliquem noxiarum mearum, quas quidem erupisse, animaduerto, contexui, nempe vt palàm docerem, quàm vehementer decipiantur, qui Calvinistas dicunt non esse homines apertos sincerofque. Quid enim hac meâ confessione verius apertiusue esse potuisset? scripto comissa fuit: quidquid autem rerum arcanarum scriptum erat, Monachi rescuerunt, & toti mundo detexerunt. At cur apertus non essem in fatendo, qui tam apertus fui in faciendo? quamquam merito nobis veniam dedisses, tametsi minus in hac re candidus fuisssem, qui etiam iis, à quibus maximè fouebar niger fui, tota fuliginis nube ob oculos eorum iacta.

XXII.

Etiam si igitur peccassemus, tamen candor noster veniam mereretur. Quamquam non opus est candore, vbi innocentia patrocinator. Hanc quoque ne nescias, Cæsar, egregiam facta nostra excusationem repererunt. Licet enim inficias ire non possimus, hæc, quæ dixi, à nobis in te designata esse; negamus tamen fortiter, te solum à nobis his iniuriis appetitum: igitur solatio tibi esse potest, socios habere. Etenim nullus Germanæi Episcopus, quantumuis innocentia & sanctitate clarus, ab hac grandine intactus mansisset, si venti quos optabamus spirauissent à tergo. Iam alius veluti, vorax flammam Bambergensem, Herbipolensemque & Eistettensem; alius alios depopulasset. Neque his lautitiis fames exa-

tiata

tiata quieuisset. Etiam vrbes Imperij suas symbolas contulissent; Arces, Ditiones Nobilium; Cœnobia, Agri, Pagiq̄ue Monachorum pro ferculis secundariis accessissent: Principes cæteri de suo Patrimonio bellaria apposuisent. Denique Romana fuit pellenda, Religio & inducenda Caluiniana pietas, quæ nullo vnquàm tempore sine sanguine germinauit.

XXIII.

Saxea quoque corda mollire ferro, & insolentissimum Lutheri Spiritum Marte domare per occasionem conabamur: Sed in optando licet nobis felicitatibus esse, quàm in perficiendo. Bauariæ Ducem, quem maximè formidauimus, paulo cautiùs lacepsendum putabamus, nam etsi nos vulpes eramus tamen Leoni tam vigilantibus non erat nimis fidendum. Rarò enim vincit astutia, vbi se se opponit prudentia. Ac nos potentes fuimus minando; illum sciuisimus validum esse præliando. Et quantò minùs minarum iactat, tantò terribiliùs fulminat. Quamquam ò si imperatum occupare licuisset nihil tam aduersarios fecisset debiles, quàm si hunc neruum perdidissent? Hi ergo aliiq̄; in Germania proceres ad eundem tecum cultum destinabantur. Quare ne putes in te vnum totam coniurationis nostræ molem incubuisse: ferebant alij tecum, vt tibi tolerabiliùs videretur, quod non solus sustineres.

XXIV.

Sed nec Germaniæ cœlum tantùm modo nostra arma audiuisset. Inter Oceanum & Adriaticas aquas coniugium, imo mare quoddam rubrum aquis sanguine

guine auētis facere cogitabamus. Ipsum Hispaniæ Regem in inquisitionē rapere meditabamur. Inde in vtramque Indiam facile brachia, & cum brachiis vtrique digitos extendere licuisset, crumenasque aureis intestinis ornare. Satis enim diu experti sumus, quid sit Irum agere, Cræsi personam tandem adepti, longè aliter vti essemus opum vi, quam Hispanus. Ex quo ipso etiam nos purgare possumus, neque enim instituimus Hispanam, Austriacamque potentiam, extinguere, sed transferre & nomen tantum mutare atque ex Hispanâ Calvinianam facere. Tum vidisset Pontifex vbi Romam reperisset: vidissent Cardinales cui concessissent purpuram: vidisset & tota Italia, neque hinc alpibus neque inde fluctibus se tutam esse. Imo amicissimi quoque nobis Turcæ ad extremum nolis immunes non fuissent. Verbo dicam, totus terrarum Orbis, vel nostrum ferrum sensisset, vel Imperium. Ex quibus intelligis, Cæsar, te nequaquam solum fuisse, quem nostra audacia fauciarer. Quod si non solus fuisti Læsus, aut nō debes solus vindicare, aut si alij etiam te iubente vindicant, illorum iram tuâ mansuetudine temperare; imo illi tecum meditationes meas laudare, iuxta notissimam Iuris regulam: *quod omnes tangit ab omnibus debet approbari.*

XXV.

Quid quod puniri iure non potest, quod aliter fieri nequit? quis enim lapidi succenset deorsum cadenti? aut igni irascitur sursum volanti? aliter faceret, si aliter natura sineret. Et si Iuris prudentes audiamus: *Quod non est licitum in lege necessitas licitum facit.*

cit. Igitur cum & ego fato adactus sim, & infallibili quadam diuinę dispositionis necessitate; cur me præscribis? Deum proscribe, qui hac me necessitate coegit. At dices te quoque fato adigi, vt me punias, neque aliter facere posse. Nequaquam tua eadem est quę mea conditio; nam mea Religio libertatem arbitrij vinculam ducit, vt proinde facere nõ liceat quod libet: imo quod libet facere necesse sit: tua autem Religio secus docet; eam si sequeris, tua est in potestate vel plectere, vel parcere. Quam libertatem nisi mei mihi Doctores ademissent, nec ego tibi ademissem regna. Et fatum igitur me coegit & Religio, quę suo pte ingenio est nata ad tumultus concitandos, vtque ad pœnitenda excitat, ita pœnitere non sinit; quia pœnitere non placet. Neque tamen idcirco accusanda est; quomodo enim sine vi vim haberet? aut quomodo crescere posset, nisi alios decrescere faceret? Hoc natura docet, quippe cum ouis consumitur lupus alitur.

XXVI.

Ad hæc coegit & Regni poriundi libido, quis enim animi impetum tam in manu habet, vt à re tam expetendâ refrænare queat? atque vt hic mihi, Cęsar, liberaliùs ignoscas, scito me idem fecisse, quod tu fecisti, si rem ipsam aspicias: vterque enim Bohemię Regnum appetiuit. De modo parum est laborandum, nam si tu iustè, ego iniquè id feci, tamen in hoc supero, quod ego cum pace, tu cum armis in Regnũ es.

C

Coë-

Coëgit deinde etiam coniunx regia, Iuno scilicet mea, quæ me identidē amarissimis cachinationib⁹ despexit, tamquam se indignum, illudque inculcauit sapientis: *tu tibi sume parem*. Quare cum non nisi Regis vxor appellari vellet, passus sum me Regem fieri, vt illa sic vocari posset. & tolerabilius erat Regnum accipere, quam vxorem dimittere. Qua in re si insolens fuit aut superba, satis luit curiosa foemina, experta iam, quam res sit volubilis Corona. Quippe iam neq; Regis, neq; Principis, sed exulis & mendici vxor, non tantum inimicorum sarcasmis, sed etiam meo ipsius ioco nominatur.

XXVIII.

Coëgerunt itidem consilia meorum: qui cum omnem lapidem mouerint, cur non me etiam mouissent? an enim existimas me lapide esse oportere duriorē? Coëgit denique apertum in Catholicos, tacitum in Lutheranos odium, quos cum meis conatibus obstare animaduertērem, tamquam obices censeui è via remouendos. Et certè fuit, Cæsar, quod te nobis oppidò odiosum redderet. Cum enim è Carinthia Stiriaque, tanquam ex Augiæ stabulo sordes, ita Calvinistas egurgitasses; quid aliud de te sperari poterat, quam vt eas itidem ex Imperij finibus eliminares?

XXIX.

Hæc ergo aliaque talia mihi manus iniecerunt, & velut obtorto collo, ad subsellia tua rapuerūt. Quis enim tot cogentibus resistat? ne Hercules quidem, cui vel duo superando suffecissent. Fatum itaq; accusa-
meum,

meum, cuius crudelitate accidit, ut ne nunc quidem, displicere mihi facta mea possint; sed tunc ut ex me exulem facere posset Deus, Regem fecit. Quem ino ipsum accusa, qui per me fecit si quid contra te factum autumas. Quippe, *qui facit per alium perinde est, ac faciat per se ipsum.* Religionem culpa, cuius causa non primus fui, qui in impietatem se precipitavit. Cupiditatem Regni damna, quæ me exoculavit, ut non viderem, meumne esset an alienum, quod concupiscerem. Vxorem in iudicium cita, in quam culpam coniicio, decet enim Maiores nostros imitari. Puto quod & illa imitetur, & culpam itidem in alium reiiciat, quod facere utique potest tot venenatis seductoribus undique cincta. Consiliarios extirpa. Ego Puer eram, rem non intellexeram: nomen meum pratexebatur, illorum fraudulentia te feriebat. Si ergo reum supplicio afficimus, non instrumentum rei, cur me verberas, & non potius eos, qui me tamquam mucronem adhibuerunt, quo latera tua foderentur?

XXX.

Denique odio, in tuam Lutheranamque religionem medicinam adhibe. Et si me consulis, quo id pacto confieri possit, Ama illud odium; nam cum contrariis contraria sint curanda, nulla re citius, quam amore tuo odium meum curabitur. Quod si ergo conuici, amare te debere, quod ego perpetraui, iam causam totam obtinui: siquidem quod amabis, idem & honorabis, honerandoque me non iam ostendes, quam sim aptum clementiæ tuæ instrumentum, sed prorsus innocentiam meam apud omnes mortales

C 2

les

les virtutemque declarabis. Quod ipsi in principio huius tragœdiæ egregiè allaborauimus facere, cum aliud in ore promptum, aliud in pectore clausum gerentes diceremus; *ad arma nos cogi, eaque ad nos tantum defendendos instituta, non contra Cæsarem, multoque minus contra Imperium, sed pro cuius libertate, Legibus, pace, dignitate, incolumitateque, conseruanda, instaurandaque, esse arrepta.* Quem honestiorem titulum prætere potuissimus? Nonne qui nos prius excusandos arbitrati sumus, iam tandem etiam laudare possimus?

XXXI.

Profectò si in te merita mea expectas, vt enumerem, neque pauca neque exigua reperies. Ego enim fui, qui etiam reluctante animo, permisi te Cæsarem creari: ac ne commune aliquid me afferre existimes, ego tunc Elector eram, cum tu eligereris. Immo cum maximè optarè ipse Cæsar esse, tamen te mihi passus sum præferri. Ego itidem Caduceator ille fui, qui profitebatur passim se aliud nihil quærere, quam vt tam immanis Regni tui tempestas sedaretur, atque idcirco vt naus inter tot fluctus etiam in scopulos inferretur, Palinurum egi, & ad clauum sedere cœpi: sed nescio quis me, vel meus somnus, vel meorum officiantia, vel Neptunus in fluctus excussit, vt in ignota arena nudus ignobilisque iacerem. Scilicet alia mea est quam Persici Regis fortuna, qui cum inauguraretur, antequam Cidarim à Maximo Surena impostam acciperet, acidi lactis potionem ebibebat, dulcia postea gustaturus. Ego mulsum prius libaui, nunc falsum mare potandum est.

Atque

XXXII.

Atque ne hic consistere beneficentiæ meæ fontes arbitreris, ego ne tot Regnorum onere opprimeris, obstiti & suppetias tui in coronis gestandis. Quin & onus de tuo capite demptum, meo imposui. Nec decere videbatur, vt Pontifici Maximo similis esses, cuius est tribus coronis insigniri. Bohemiæ igitur Corona ad me, Hungariæ ad Gaborem deuoluta est, nam multæ manus leue faciunt onus. Quid quod Ciuitates tibi dudum non satis addictas tuo nomine punitum iui, & multa pecuniaria affeci? crede mihi, nostri belli occasione multum Norinberga, multum Vlma, multum Argentoratum Argenti seminavit, & messem non expectat, nisi fortè nouæ à te pœnæ, vt pecuniam dent, quia dederunt. Ac si cætera omnia desint, illud meam causam luculentè perorat, quod dicitur: *Cum sunt partium iura obscura reo fauendum est potius, quam aëtori.* At quæ vnquam iura obscuriora extiterunt, quàm quæ ego ad tuas prouincias tuaq; Regna habui?

XXXIII.

Ad extremum, præter iustitiæ meæ magnitudinem, sunt aliæ præterea causæ tui flectendi. Primo Princeps natus sum, cur non & Princeps morior? vbi enim Patrimonium meum? vbi Vasalli? si semel accepi Feudum, cur non retineo? nam *decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.* Deinde hæredes plures numero; quàm deforme est igitur si non & hæreditates? Tertio vxor quoque non assuevit ruri inter-

mapalia & caseos Hollandicos habitare: mallet ex
 ciuibus æs quam è pecorib⁹ lac emulgere: & te quam
 butyrum conficere præoptaret: Quarto nomina,
 quæ feci dispungenda sunt: ingenti me ære alieno
 obstrinxi: vnde ergo satisfaciam, nisi ex tua liberali-
 tate? Quinto promissa me plurima vrgent: huic qui-
 dem Alsatiam spopondi: Alij Treuirenses, alij Bam-
 bergensem Episcopatum obsipau: aliis Vrbes: aliis
 etiam coronas & sceptras, vt inescarem, obieci. Quan-
 do vero promissis, tam regiis stare licebit, nisi tu Re-
 gem feceris, Regesque facere promiseris? Sextò fla-
 gitant etiam à me maiorem, quam ferendo sim mer-
 cedem laboris, Christianus Anholtinus, Ioachimus
 Ernestus Brandenburgensis, Albertus Comes à So-
 lembs, D. Ludouicus Camerarius, Volrathus à Ples-
 sen, Achatius & Christophorus à Dona nobile par-
 fratrum, & ante omnes tibi semper fidissimus immo
 æternum fidelitatis exemplum Mansfeldius. Hi, in-
 quam, mercedem flagitant, nam magis pro merce-
 de, quam pro gloria bellauerunt? Denique illi omnes
 aliquid flagitant, quorum sanguinem ebibi; quorum
 neruos æraria, amicos, & ditiones, mille cladibus la-
 cerant. Quibus omnibus sitientissimè expectantibus
 (cum habeant & illi ampla desideria) non possum
 respondere, nisi immensum à te laborum meorum
 præmium, & ipsam fortunæ pyxidem reportem.
 Quod sane si consecutus fuero, efficiam, vt me præ-
 mij eius accepti non poeniteat: nam denuo opibus ar-
 matus res meas strenuè agam, tuas strenuè perdam;
 vt habeas qui te exerceat, neque patientiam tuam ru-
 bigi-

biginem trahere sinat. Quæ per amicum iocum dicta intellectaque volo. decet enim in epistolis familiaribus, per iocum eos exhilarare, à quibus impetrealiquid cogitamus.

XXIV.

Peruasum est mihi, hiscè, rationibus tibi persuasum esse. Illud querere potes, quid mihi cōcedi velim? paucis rem indicabo: quibus tu plura adiicere poteris, si nimis ego pauca videbor postulauisse. Primum itaque cupio, ex inferiore Palatinatu Spinolam actutum ad coruos abigi: quem quidem ego ipse pedibus tererem, si spinas calcare didicissem. II. In nidulum meum reuocari gestio, ita vel forma suadet, nam me satis adhuc implumem esse fatebitur, qui me de facie nouerit. III. Omnes inspectores aueo illinc amandari; qui Regis Hispani aut tuas vices agunt; neque enim mea fert modestia, vt tantos ego mihi famulos patiar ministrare. IV. Repeto Palatinatum supernum: ne Infernum tantum ambire videar. V. Electoratum etiam retinere volo, vt quales nuper in electione turbelas dedi, vel ego vel hæredes mei sapius dari possint. VI. Regnum Bohemiam postulo, tum quia, *quod semel placuit amplius displicere non potest*, tum ne te macules, cum rem alienam non restituis. rem autem esse alienam ipse nosti; nam multis machinis obtinui, vt propemodum omnes, adeoq; totum Regnum à te esset alienum. VII. Cum nemo vxorem mutilatam ducere cogatur, cætera quoque huius Regni membra expetesso, Silesiam scilicet, Morauiam, Lusatiamque. VIII. Austria pars

vna, quæ iam antè mihi erat fœdere connexa, connexa sit & potestate. Et hoc iure exigo populus enim, ille est tibi admodum onerosus, merito igitur ad Bohemiæ Regnum onus hoc adiicis, Quippe, *rationi congruit, ut succedat in onere qui substituitur in honore.* IX. Vt catena catenam trahit, ita par est, vt superiorem Austriam Inferior sequatur: Cum in omni Rep. pro lege habeatur, vt, qui inferiores, suos sequantur superiores. X. Hæc, vt à me tantò tranquillius possideantur & regantur promissam à meis ante hac Styriæ Præfecturam superadde, vt Gabori Turcisque sim vicinior, nam hinc spero me consecuturum, vt perinde sint in tranquillo res meæ ac si ad sacram anchoram confugissem. XI. De Alfatia non multùm ipse laborabis cum eam mihi tam commodam fore animaduertas. Illud tamen cures velim, vt ipsismet persuadeas, nè me tantopere detestentur: non enim sum adeo informis, nuper me in littore Hollandico inter haleces & asellos marinos vidi. XII. Non contèdes mecum ob quosdam Episcopatus, cum illi tui non sint. Itaque partem Herbipolensis optat & expectat Ioachimus Generalis Ductor, quod cõtra te pugnarit: Spirenses Episcopatum, & bonam partem Archiepiscopatus Moguntini cum in oculis feram, non euelles, nè luscus fiam. XIII. His accedet Wormatia nostris partibus tam pertinaciter addicta, desperat enim nisi apud desperatos maneat. XIV. Anholtinus item partem vnã Moguntini alteram Bambergensis Episcopatus fanè per quam verecundè petit, cum enim totas ditiones appetere posset, portione

vult

vult esse contentus; nempe cum propria ipsius ditio sit decurtata, etiam alienas decurtare debet, ne, cum vulpe, solus pro manco habeatur. XV. Illud rogo, quia satis diu Vtopiæ Rex fui, Rhenuſque mea causa largiter erubuit, pudorem illum, ut in honorem commutes meque; (quamquam suo id damno Scotus Max Wel suavit) Regem Rheni esse iubeas. præstat enim Regem Rheni esse quam Comitem. nunquam enim stabilis ero si Rhenum voluero comitari. XVI. De Hungariæ sceptro & de Romani Regis titulo, si nondum tibi placet annuere nunc quidem cedam, sed ita ut in tempore mihi meisque ea de re liceat providere. XVII. Ut autem securè deinceps agam, Militem tuum tuorumque omnem sine tergiversatione dimittes: quando & Vniti suum & quidem iam ante Pragam dimiserunt. Neque inquires quid ego agam, quidûc incipiam? etsi enim ego admodum nobilis puer sum, non tamen decet me Cæsarem habere loco pædagogi, qui res meas curet. Denique de petitis nihil diminues; fatalia enim sunt, quæ mutari non possunt.

XXXV.

Si dubitas, quid tibi sit relinquendum, si hæc mihi concesseris? in promptu est responsio. Nam tibi relinquetur nomen inauditæ liberalitatis, & fortasse id quod nunc meum est, Exilium. Inauditam autem liberalitatem tuam gloriam quoque habituram inauditam vel hinc conice, quod ego eam satis ipse nequiuerim describere, atque idcirco circumscribere, illam hac tota epistola conatus sum.

Cate-

XXXVI.

Cæterum ne nimis prolixus sit sermo meus, antequam finem addo, pro ea quam semper expertus es, amicitia, tibi etiam atque etiam suadeo, ut hæc quam primum perficias. nisi enim annuas sic supplicanti, faxo mox ut supplex ipse reueriaris abnuentem. Et quod petenti nunc negas tunc iubenti ultro offeres. Iam enim quasi murium & ranarum bellum concinnaturus, ita in mediis paludibus habitantes Danos, Suecos, Anglos, Hollandosque, imo & Hungaros, Transylvuanos Turcarumque copiam, & Tartarorum ferociam in tuum magnum maximum malum, excitavi. Ne ergo in perpetua trepidatione anxio verferis, concede quæ postulo, & te metu, me Exilio libera. Malo enim hæc à tua liberalitate cito accipere, quam à longo & incerto belli euentu diu expectare. Vale, & cum fidis Consiliariis serio delibera, quid agere velis, ne te poeniteat, tam modestè supplicantem repulisse.

FRIDERICVS RE EXVL,
SPE CÆSAR.

an-
ses,
nam
nti,
Et
eres.
cin-
nos,
ros,
aro-
um,
ver-
oli-
ere,
are.
da-
tem

L,

VONT ME



1/0 3891 0A



ULB Halle

004 800 443

3



V017






A

M

R




Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



LVVS

SSI-

ATO.

VM II.

SCLA-

Re-

, &c.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

XXI.

